

CLXVI.

Anno 1499. feria 6. ante festum SS. Trinitatis. Budae.

Vladislaus Rex discordias Nobilium, cum Prelatis et Baronibus Regni Slavoniae quoad modum exercituationis habitas, componit et novos articulos super eo edit.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus Dei gracia Rex Hungarie, Bohemie, Fidelibus nostris Egregiis et Nobilibus Vniuersitati Nobilium Regni nostri Sclauonie salutem et gratiam. Cum his diebus pro certis rebus et negociis vestris commune commodum illius Regni nostri concernentibus, ad nos certos fratres ac nuncios vestros misissetis, iidem inter alia nobis exposuerunt: Qualiter non modica contencio et contro- uersia inter vos ac dominos Prelatos et Barones bona et possessiones in illo Regno nostro habentes, ratione exercituationis fieri et oriri consueuerit. Et ob id nobis humiliter in persona omnium vestrum supplicabant, vt hoc negocium cure habere et cum dominis ipsis, qui vt prefertur, bona et possessiones in medio vestri et in illo Regno nostro haberent, ratione huiusmodi exercituationis, bona media, bonum etiam modum reperiri dignaremur, qui etiam vobis esset tolerabilis, et deinceps occasio alterius discordie inter vos aboleretur. Nos igitur cum eisdem dominis ac ceteris Consiliariis nostris superinde tractantes, pro vlteriori quiete ac comodo et vtilitate vtriusque partis, presentibus et consencientibus ibidem prefatis nunciis vestris, hos infrascriptos articulos in facto huiusmodi exercituationis edendos statuimus. Inprimis, quod de triginta tribus colonis teneatur vnus equus leuis armature, de centum vero tres equites, et sic consequenter. Ita videlicet, quod tales homines stipendiarii non muliebriter vestibus sericeis, auroque et gemmis, aliisque ad cultum apparatibus se ornent, sed iuxta veterem morem progenitorum vestrorum viribus et armis conspicui sint, habeantque lorica, galeam et hastam, siue loco haste arcum manulem cum pharetra, et equum ad minus septem vel octo florenos auri valentem. Item conclusum est, quod domini Prelati et Barones, qui in Hungaria pariter et Sclauonia bona habent, ratione honorum, in illo Regno nostro Sclauonie habitorum, teneantur specialiter gentes pro numero Jobagionum suorum in corpore illius Regni nostri pro defensione eiusdem tenere, nec eas de illo Regno et a Capitaneatu eiusdem debeant diuellere seu sequestrare. Item conclusum est: quod Banus Regni nostri Sclauonie Capitaneatum stipendiariorum vestrorum sibi vindicare non possit. Sed talem Capitaneum nos ex auctoritate nostra eligemus. Et quidem talem, qui ad hoc officium idoneus et acceptus erit, quique cum gentibus vestris ad mandatum